



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 138. Per quam formam Angeli constituentur in loco.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

munt latè, in quantum comprehendit definitionem.

21. Sequitur tertio, quod corpus ita est in loco, ut contineatur à loco: Angelus è conuerso ita est in loco, ut non contineatur à loco, si propriè loquamur, sed potius contineat locum, ut docet Sanctus Thomas in corpore huius art. 1. Ratio est, quia illud continet, quod est alteri præsens ut actiuum suo passiuo; illud continetur, quod est alteri præsens ut passiuum suo actiuo: e.g. quia anima est præsens corpori ut actiuum suo passiuo, corpus est præsens animæ ut passiuum suo actiuo, anima dicitur continere, corpus autem dicitur contineri ab anima; sed Angelus est præsens loco corporeo ut actiuum suo passiuo: siquidem potest agere in corpora, non potest autem naturaliter pati à corporibus: ergo. Ex opposita ratione corpora continentur loco, quia naturaliter patiuntur à loco.

22. Addo traditam doctrinam desumptam ex Damasc. lib. 1. de fide, cap. 17. ubi dicit. *Angelus autem corporaliter non continetur, quasi formam, figuramque recipiat. In loco tamen dicitur esse, propterea quod adest intelligibiliter, & operatur secundum suam naturam, & non dicitur esse nusquam, sed alicubi intelligibiliter circumscribi, ubi & operatur &c.* & paulo post: *Anima autem copulata corpori, tota toti, & tota parti, neque continetur ab ipso, sed continet ipsam, haud secus, atque ignis ferrum, & in ipso existens peculiariter suas operationes efficit.* Idem insinuat cap. 16. eiusdem libri.

23. Ad 1. distinguo maiorem: esse in loco quantitatiuè, circumscriptiuè, commensuratiuè, configuratiuè, & per modum contenti est proprium corporum, & non conuenit substantijs incorporeis, concedo: esse in loco per præsentiā, qua res sit verè secundum suam substantiam præsens loco, abstrahendo ab his, est proprium corporum, nego maiorem: concedo minorem: & distinguo eodem pacto consequens. Esse in loco quantitatiuè, circumscriptiuè, commensuratiuè, configuratiuè, & per modum contenti, est proprium corporum, & non conuenit substantijs incorporeis, ut explicatum est num. 17. & sequent. At esse loco per præsentiā, per quam res secundum suam substantiam sit præsens corpori, & abstrahendo ab hoc, quod circumscribatur, conuenit etiam substantijs incorporeis, immò etiam Deo, ut explicatum est. Aristoteles, & Boetius negant substantias incorporeas esse in loco quantitatiuè &c. non negant esse in loco per præsentiā, & per contactum virtutis. In eodem sensu Augustini lib. 83. quæst. 20. dicit Deum esse in loco abusiue: & lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 20. & 26. dicit Deum mouere creaturas corporales per tempus, & locum: spirituales autem tantum per tempus.

24. Ad 2. distinguo maiorem: omne, quod est in loco modo quantitatiuo, habet positionem, & situm in loco, in quo est, concedo: omne, quod est in loco per puram præsenti-

tiam ad locum, & per contactum virtutis, habet positionem, & situm in loco, in quo est, nego maiorem: concedo minorem: & nego consequentiam. Quod est in loco modo quantitatiuo, habet positionem, & situm in loco: at quod est in loco per puram præsentiā, & applicationem virtutis, non debet habere positionem, & situm in loco: & quia Angeli sunt in loco, non modo quantitatiuo, sed per puram præsentiā, & applicationem virtutis, non habent positionem, ac situm in loco: ideoque Angeli ita sunt in loco, ut neque stent, neque sedcant, neque iaceant, neque habeant alium situm, siquidem hæc omnia important quendam ordinem partium quantitatarum rei, quæ est in loco, ac proinde non possunt conuenire substantijs incorporeis, quæ carent partibus quantitatis, ac totæ sunt in toto loco, totæ in singulis partibus loci.

25. Ad 3. distinguo eodem pacto maiorem: omne, quod est in loco modo quantitatiuo, continetur, & mensuratur à loco, & à corpore, intra cuius superficiem concuam continetur, concedo: omne, quod est in loco per puram præsentiā, & per contactum virtutis, nego maiorem: concedo minorem: & distinguo eodem pacto consequens. Angeli quia sunt in loco per puram præsentiā, & per contactum virtutis, non mensurantur, nec continentur à loco, sed continent locum, eo pacto, quo anima rationalis ita est in corpore, ut non contineatur à corpore, sed contineat corpus, ut explicatum est num. 21.

26. Ad 4. nego maiorem. Dupliciter potest aliquid esse in loco, primo ita, ut à loco conseruetur, vel perficiatur, & patiatur: secundo ita ut agat in locum, & in corpora, quæ sunt in loco. Corpora sunt in suis locis præsertim naturalibus, ita ut ab illis contineantur, & patiantur, & perficiantur. At substantiæ incorporeæ sunt ita in locis corporeis, ut agant in loca, & in corpora, quæ in talibus locis sunt.

QVAESTIO CXXXVIII.

Per quam formam Angeli constituentur in loco?

1. **P**rimò videntur Angeli esse in loco corporeo per suam substantiam sine vlla forma, vel modo superaddito. Per illud enim Angelus est in loco, per quod ita est præsens loco, ut possit in tali loco operari operatione transeunte, si velit: sed Angelus per suam substantiam ita est præsens cuilibet loco, & corpori, ut possit in quolibet loco, & corpore operari operatione transeunte, si velit, corpus illud localiter mouendo; ergo.

2. Secundo videtur Angelus constitui formaliter in loco per operationem transeuntem in locum corporeum. Ut enim ex S. Thoma hac

hæc quæst. 52. art. 1. in corpore diximus q. 137. num. 17. sicut corpus est in loco per contactum quantitativum, sic Angelus, & quælibet substantia incorporea est in loco per contactum virtutis: sed contactus virtutis consistit in operatione transeunte in locum corporeum; ergo &c.

3. Tercio Damascenus relatus q. 137. nu. 22. lib. 1. de fide cap. 17. loquens de Angelo dicit: *In loco dicitur esse, propterea quod adest intelligibiliter, & operatur secundum suam naturam*: ergo ex Damasceno Angelus est in loco per operationem.

4. Quarto Deus est in locis corporeis per operationem transeuntem, qua loca corporea producit, vel conservat: ergo etiam Angelus est in locis corporeis per aliquam operationem transeuntem, quam in illis exercet.

5. Quinto videtur Angelus esse in loco corporeo, non per actualem operationem transeuntem, sed per applicationem virtutis ad operandum in tali loco. Nam antequam Angelus operetur in aliquo loco, debet intelligi esse præsens, vel localiter propinquus illi loco: sed ista præsentia, vel propinquitas non potest in alio consistere, quam in applicatione virtutis ad operandum, quæ applicatio præcedit ipsam operationem: hæc autem applicatio est contactus virtutis; ergo &c.

6. Respondeo plures in hac quæstione fuisse authorum sententias, quas fuse referunt Suar. lib. 4. de Angelis cap. 2. & sequentibus, usque ad cap. 9. & Valq. tom. 2. in 1. p. disp. 133. cap. 1. & seq.

7. Prima sententia, quam Vasquez citata disp. 133. tribuit S. Bonaventuræ, Scoto, Gregorio, Gabrieli, & Marfilio, docet Angelos esse in loco per solam suam substantiam, secluso quolibet superaddito.

8. Reijcitur hæc opinio. Nam potest esse locus, & esse substantia Angeli, absque eo quod Angelus sit in tali loco: e. g. de facto existit substantia demonum, siue malorum Angelorum, & existit cælum empyreum, & tamen demones non sunt in cælo empyreo: ergo demones, siue Angeli mali non sufficienter constituuntur in hoc determinato loco, puta in cælo empyreo, per existentiam suæ substantiæ, & per existentiam loci, puta cæli empyrei. Videri possunt argumenta, quibus quæst. 27. physic. probavi corpora non sufficienter constitui in loco per suam existentiam, & per existentiam loci extrinseci. Eadem enim argumenta probant hoc idem de Angelis:

9. Secunda sententia est Durandi, qui in 1. dist. 37. 2. part. dist. qu. 1. num. 26. docet Angelos per suam substantiam, secluso quolibet superaddito, esse non quidem in loco determinato, quem per motum deferere possit, sed in loco communi, hoc est in omnibus corporibus, quæ sua virtute possunt movere: & quia Angelus potest movere omnia corpora, quæ sunt in mundo, ideo docet Angelum per

suam substantiam esse præsentem omnibus corporibus, quæ sunt in mundo, etiam si nullam circa illa operationem actu exerceat.

10. Hæc sententia communiter à Scholasticis rejicitur, non solum vt falsa, sed etiam vt improbabilis. Cum enim Angeli semper habeant suam substantiam, sequitur Angelos simul esse localiter præsentem, & propinquos omnibus corporibus mundi, ac proinde simul esse in cælo empyreo, & in inferno. Sequitur rursus Angelos non posse localiter moveri de vno loco ad alium; siquidem semper sunt in omnibus locis. Sed hæc sunt absurda, & repugnant Scripturæ, & Patribus docentibus Angelos non esse ubique, & ex vno loco corporeo moveri localiter ad alium: ergo &c. Aliqua testimonia Patrum dicentium Angelos non fuisse ubique, ac moveri de loco ad locum, attuli quæst. 137. num. 12.

11. Propter hæc argumenta plerique scholastici docent, quod ad hoc, vt Angeli sint in loco, requiritur aliquid eorum substantiæ superadditum: sed non conveniunt in explicando, quid illud sit. Tertia ergo sententia, quæ Vasquez tribuit Alexandro 2. par. quæst. 32. memb. 1. docet Angelos constitui in loco per qualitatem à solo Deo productam, ac substantiæ Angeli impressam.

12. Reijcitur communiter hæc opinio. Sequeretur enim, quod Angeli non possent se localiter efficienter movere, & in hoc, vel illo loco constituere: siquidem non possent in se ipsis talem qualitatem producere: ergo moverentur, & constituerentur in loco efficienter à solo Deo: sed hoc repugnat perfectioni Angelorum: nam cum animalia, & corpora inferiora possint se efficienter movere, & in loco constituere, à fortiori Angeli debent posse se ipsos movere, & in hoc, vel illo loco constituere: ergo &c. Eadem ratione probatur Angelos non constitui in loco per modum eorum substantiæ superadditum, & à solo Deo productum. Vtrum verò constituentur in loco per qualitatem, vel modum ab ipsis Angelis virtute naturali productum, examinabitur num. 30, vbi dicemus Angelum constitui in loco per accidens pertinens ad prædicamentum vbi, non ad prædicamentum qualitatæ.

13. Quarta sententia Egidij in 1. Dist. 37. 2. parte dist. art. 1. quæst. 1. & Ferrar. 3. contra Gentes, cap. 68. & plurium Thomistarum, docet Angelos constitui formaliter in loco per operationem transeuntem, quam exercent in aliquod corpus locatum: puta Intelligentias moventes cælum per motum illum constitui localiter in cælo, quod movent: demones constitui in inferno per aliquam operationem, quam exercent circa ignem inferni &c. Tribuitur autem à multis hæc sententia Damasceno, & Sancto Thomæ, præsertim propter testimonia allata num. 2. & 3. in 2. & 3. argumento.

14. Reijcitur primò: nam præsentia, vel propinquitas agentis ad passum est conditio prærequisita ad exercendas operationes transeuntes in passum: ergo Angeli prius natura debent esse præsentia, vel propinqui corporibus, ut deinde intelligantur agere transeuntes in corpora, ac proinde non constituuntur præsentia, ac propinqui corporibus, & locis per operationes transeuntes, sed per aliquid natura præcedens prærequisitum per modum conditionis ad exercendas operationes transeuntes.

15. Confirmatur: nam Deus prius natura, quam agat transeuntes, producendo, vel conferendo creaturas in suis locis, intelligitur esse immensus, ac proinde habere infinitam vocationem, per quam possit, & debeat implere omnia loca, eo ipso, quod sint; ergo etiam Angelus, & qualibet creatura prius natura, quam agat transeuntes in aliquo loco, debet participare diuinam immensitatem per vocationem, per quam sit præsens, & propinquus tali loco.

16. Hæc ratio, eiusque confirmatio desumpta est ex Damasceno, qui lib. 2. de Fide, cap. 17. dicit: *Angelus velocitate naturæ, & quia videlicet promptè, & citò pertransit, varijs in locis operatur. Deus autem ubique existens, & super omne ubique, & secundum idem differenter operatur*; ergo ex Damasceno Angelus idè varijs in locis operatur, quia velocitate suæ naturæ ex vno loco velociter pertransit in alium, ac proinde prius natura per velocem motum sit præsens, vel propinquus loco, deinde operatur operatione transeunte in tali loco: Deus autem, quia per immensitatem est ubique, operatur ubique: ac proinde cum præsentia, vel propinquitas ad locum sit ratio operandi in loco, præcedit natura operationem transeuntem, ac distinguitur ab ipsa operatione transeunte. Hinc patet Damascenum non fauere sententiæ aduersariorum, sed nostræ.

17. Secundò impugnatur hæc sententia ex eo, quod ex ipsa sequuntur aliqua absurda, & contra communem sensum. Primò sequitur, quod Angelus posset etiam naturaliter esse nullibi: sed est absurdum, quod Angelus etiam naturaliter posset esse nullibi: si quidem ut dicemus, qu. 141. nec supernaturaliter potest esse nullibi: ergo. Probatur sequela: nam Angelus naturaliter potest nolle exercere vllam operationem transeuntem in corpora: sed si nullam operationem transeuntem exerceret in corpora, non esset in vilo loco, ac proinde nullibi esset; si quidem supponitur constitui in loco per operationem transeuntem: ergo. Secundò sequitur Angelum posse transire ab vno loco in alium, non transeundo per medium, quod pariter est absurdum, & communi sensui repugnat, ut ostendetur infra q. 145. Probatur sequela. Nam Angelus existens Romæ per operationem transeuntem, qua agit in corpora existentia Romæ, potest cessare ab omni operatione transeunte in corpora, & sic nullibi

esse. Potest deinde operari transeuntes in corpore existente in India; ergo transiret à loco romano ad indicum, non transeundo per loca intermedia. Licet verò aduersarij concedant vtramque sequelam, tamen vtrumque consequens communi sensui repugnat, & infra quæst. 141. & 145. ostendetur esse falsum.

18. Tertio impugnatur: nam sequeretur Angelos, & animas beatorum non esse in cælo empyreo, cum non possit explicari, quam operationem transeuntem ibi debeant exercere tot Angelorum, & animarum millia, Rursus sequeretur demones, & animas damnatorum non esse in inferno, ex proportionali ratione.

19. Caietanus in Comm. huius artic. 1. quæst. 52. S. Thomæ insinuat Angelos solum abusuè esse in cælo empyreo, eo quod fruatur beatitudine, ad quam *cælum empyreum destinatum est*. Tribuunt autem aliqui hanc opinionem Nazianzeno, & Gregorio Nysseno. Sed hinc sequeretur, quod cum Angelis in primo instanti creationis non fuerint beati, nec fuissent creati in cælo empyreo, ut docet communis sententia. Rursus sequeretur, quod cum Angelis beati per rotam æternitatem permansuri sint in cælo empyreo, solum impropiè, & abusuè sint futuri in loco. Secundò idem Caietanus 3. parte quæst. 52. art. 2. docet cum Ferrariensi Angelos, & animas separatas in cælo empyreo, in inferno, purgatorio, limbo esse per aliquam operationem occultam, quam in ijs locis exercent virtute diuina. Sed hoc videtur potius somnari, ac diuinare, quam argumentum probabiliter soluere.

20. Quinta sententia Capreoli in 2. qu. 1. artic. 2. quam videtur desumpsisse ex Sando Thoma, quodlib. 1. artic. 4. docet Angelos esse in loco per aliquid instar operationis, hoc est vel per operationem transeuntem, vel per passionem, vel per hoc, quod Angelus præsideat rebus, aut ad instar operantis se gerat. Mirandulanus etiam in Apologia, qu. 1. docet Angelum esse in loco per operationem, nomine operationis intelligendo quamcumque habitudinem ad locum, quæ habitudo se habeat per modum operationis actiue, vel passiue. Addit, quod licet Angelus virtute propria non possit constitui in loco, nisi per operationem in sensu explicato, virtute diuina potest etiam alijs modis constitui in loco.

21. Reijcitur hæc opinio. Primò enim ut Angeli agant in corpora, vel patiantur à corporibus, debent in priori natura esse illis præsentia, vel propinqui, ut dictum est num. 14. ergo non possunt constitui in loco per actionem transeuntem, vel per passionem: sed neque possunt constitui in loco per hoc, quod præsideant rebus existentibus in loco, & ad instar operantis se gerant; ergo. Probatur assumptum: nam Angelus in cælo empyreo existens potest præsidere alicui provincie, vel vrbi existenti in terra, atque eius curam gere-

re.

re, & tamen non per hoc est localiter præsens, vel propinquus illi urbi, alioquin esset simul in cœlo empyreo, & in terra. Confirmatur: nam cum Angelus etiam absens possit præsidere alicui regno, vel provincie, deberet explicari, qualis sit illa præsentia, quæ constituit Angelum præsentem illi provincie, & quid tandem sit illud *ad instar operantis se habere*, per quod constituitur in loco; sed hæc non explicantur; ergo non satis explicatur, per quid Angelus constituitur in loco.

22. Sexta sententia Thomæ de Argentina in 1. dist. 37. quæst. 1. art. 2. Goffredi, quodlib. 8. quæst. 13. & Caiet. in comment. huius artic. 1. quæst. 52. docet Angelum constitui formaliter in loco ante ipsam operationem, transeuntem per applicationem virtutis ad operationem transeuntem in determinato loco exercendam. Sed quia adhuc superest explicandum, in quo consistat hæc applicatio virtutis ad operationem transeuntem, id explicando, docet talem applicationem consistere in actibus immanentibus intellectus, & voluntatis Angelicæ, & in expeditione potentie executivæ, quibus Angelus constituitur promptus, & expeditus ad exercendam operationem transeuntem. Per hos nimirum actus virtus Angeli constituitur applicata loco, etiam antequam exerceat operationem transeuntem in tali loco. Addit per talem applicationem virtutis Angelum solum incomplete esse in loco; per ipsam autem operationem transeuntem, constitui complete in loco.

23. Reijcitur hæc opinio. Nam etiam si Angelus ex parte intellectus, & voluntatis sit paratus ad agendum in aliquo loco, per hoc præcisè, quod sit in loco distante, intelligitur virtus eius non esse sufficienter applicata ad agendum transeuntem in tali loco, & virtus executiva intelligitur habere impedimentum distantie; ergo aliunde debet explicari, quid sit Angelum distare, vel esse propinquum loco, & quid sit habere, vel non habere impedimentum distantie. Rursus non satis explicatur, quas operationes transeuntes Angeli, & animæ separatæ à corporibus paratæ sint exercere in locis, in quibus sunt, puta in cœlo empyreo, in inferno, in purgatorio, vel in limbo. Sequitur præterea Angelos, & animas separatas, cum possint liberè nolle exercere ullam operationem transeuntem in corpora, posse liberè se constituere nullibi, ac cum deinde volunt operari in locis distantibus, transire ab vno loco, ad alium, non transeundo per medium, quæ sunt absurda, & contra communem sensum, ut dictum est num. 17.

24. Septima igitur sententia Suarij lib. 4. de Angelis, cap. 2. num. 4. & sequent. Vasquez in 1. par. disp. 188. cap. 7. & plurium aliorum præsertim recentiorum docet Angelos constitui formaliter in loco per aliquam formam, positivam accidentalem intrinsecam distinctam à loco, & ab ipsis Angelis, quæ vocatur vbicatio. Hanc sententiam sequimur, &

aliquibus conclusionibus explicamus.

25. Dicendum igitur primò: Angelus constituitur in loco per aliquid distinctum à loco, & ab ipsa substantia Angeli.

Probatum; nam potest esse locus, & Angelus, absque eo quod Angelus sit in tali loco: e. g. potest esse cœlum empyreum, & Angelus, absque eo quod Angelus sit in cœlo empyreo, siquidem Angelus potest à cœlo empyreo discedere, & descendere in terras; ergo Angelum esse in cœlo empyreo addit aliquid superadditum Angelo, & cœlo empyreo &c.

26. Dicendum secundò: id, per quod Angelus est in loco, præter ea, quæ sunt intrinseca loco, addit aliquid accidentale intrinsecum ipsi Angelo.

Probatum; nam potest dari locus, puta, cœlum empyreum cum omnibus suis intrinsecis, absque eo quod Angelus sit in cœlo empyreo, si nimirum Angelus discedat à cœlo empyreo, & descendat in terras; ergo id, per quod Angelus est in cœlo empyreo, addit aliquid intrinsecum ipsi Angelo, quodque illi est accidentale, cum remanente tota sua substantia, possit illud habere, vel non habere.

27. Dicendum terriò: hoc intrinsecum Angelo, per quod constituitur in loco, est forma positiua accidentalis.

Probatum; nam repugnat motus, per quem non acquiratur, vel amittatur aliquid positiuum; e. g. per calefactionem acquiritur calor positiuus; per illuminationem acquiritur lux positiua; per obtenebrationem amittitur lux positiua; sed Angelus cum ex vno loco mouetur ad alium, amittit præsentiam vni loco, & acquirit præsentiam alteri loco: puta cum à cœlo empyreo descendit ad terras, amittit præsentiam cum cœlo empyreo, & acquirit præsentiam cum loco terrestri; ergo vel est positiuum id, per quod est præsens cœlo empyreo, vel id, per quod est præsens loco terrestri; sed si præsentia vni loco addit aliquid positiuum, etiam præsentia alteri loco addit aliquid positiuum: eadem enim est ratio: ergo. Hæc forma positiua accidentalis intrinseca Angelo vocatur vbicatio Angelica. Videri possunt alia argumenta, quibus quæst. 27. Physic. probavi vbicationem corporum superaddere corporibus vbicatis aliquid positiuum, & non puram negationem.

28. Dicendum quartò: vbicatio, quam Angelus per motum localem, quo se ipsum mouet, acquirit, non producit à solo Deo, sed ab ipso Angelo.

Probatum; nam sicut Angelus, dum se mouet, producit in se suum motum, sic producit in se suam vbicationem, quam acquirit per motum. Prima tamen vbicatio, quam Angeli in primo instanti suæ creationis habuerunt in cœlo empyreo, fortasse producta fuit à solo Deo: & cum contra suam voluntatem à Deo, vel vnus Angelus ab alio Angelo

gelo mouetur ab vno loco ad alium, talis motus, & tales vocationes producuntur ab extrinsecis mouentibus.

29. Dicendum quinto: vcatio, per quam Angelus est in loco, non consistit in adione transeunte, quam exerceat in talem locum.

Probatur: nam Angelus prius natura, quam agat transeunter in aliquem locum, debet esse præsens, vel propinquus tali loco: ergo vcatio debet præcedere omnem operationem transeuntem, ac proinde nequit consistere in ipsa operatione transeunte.

30. Vt magis explicetur natura vocationis Angelicæ, quæri potest primo, ad quod prædicamentum pertineat?

Respondeo cum Suarez lib. 4. de Angelis cap. 2. num. 9. 10. & 11. quod est accidens pertinet ad prædicamentum *vbi*. Probatur: nam accidens, quo res formaliter constituitur in loco, & acquiritur per motum localem, spectat ad prædicamentum *vbi*: sed vcatio angelica est accidens, quo Angelus formaliter constituitur in loco, & acquiritur per motum localem: ergo vcatio angelica est accidens pertinet ad prædicamentum *vbi*.

31. Quæri potest secundo, vtrum vcatio angelica sit modus, hoc est accidens modale.

Respondeo affirmatiue. Ratio est, quia vcatio Michaelis est accidens, quo Michael est hic: ergo dari non potest, quin formaliter constituat Michaelē hic: sed Michael potest esse, quin sit hic, ac proinde potest esse sine hac vocatione: ergo vcatio non potest esse, quin sit intrinseca alteri, quod potest esse sine illa, quæ est definitio modi, ac proinde est modus, cum illi conueniat definitio modi.

32. Quæritur tertio, vtrum vcatio Angelica sit actualis vnio, & coniunctio cum loco extrinseco, & cum corpore, cui Angelus per vocationem est actualiter præsens, & propinquus?

Respondeo duas esse sententias. Prima docet vocationem, qua Angelus est in loco extrinseco, & occupat penetratiue determinatam partem talis loci, & est propinquus, & proximus alijs partibus, esse actualem vnionem cum loco, & corpore, cum quo penetratur, & cui est propinquus. Ex gr. si Angelus sit in toto hoc cubiculo, & penetratur cum toto aere huius cubiculi, ac sit propinquus, & proximus parietibus huius cubiculi, vcatio, qua Angelus est in hoc cubiculo modo explicato, est vnio actualis Angeli cum aere huius cubiculi, cum quo penetratur, & cum parietibus huius cubiculi, quibus est propinquus, & proximus. Et quia vnio actualis vnus cum alio non potest eadem numero remanere, altero ablato, ex gr. vnio actualis animæ cum corpore non potest remanere, ablata anima, vel ablato tali corpore, ideo iuxta hanc opinionem vcatio, qua Angelus est in hoc cubiculo, non potest

eadem numero remanere, mutato aere huius cubiculi, ac succedente alio aere, ponitur in Angelo alia numero vcatio, & vnio cum aere succedente. Hanc sententiam sequitur Vasquez in 1. parte quæst. 183. cap. 7. eamque tribuit Henrico quodlib. 1. quæst. 9.

33. Secunda sententia Suarj lib. 4. de Angelis, cap. 6. docet vocationem Angeli non consistere in reali, ac physica vnione cum loco extrinseco, & cum corpore, cui Angelus est penetratiue præsens, vel sine penetratione proximus, ac propinquus modo explicato.

34. Dicendum cum secunda sententia: vcatio Angelica non consistit in hac vnione Angeli cum loco extrinseco, & cum corpore modo explicato.

35. Probatur: nam naturaliter nulla res mutat vocationem, nisi per motum localem, quo ipsa localiter moueatur: sed si vcatio, qua Angelus est hic, & penetratur cum hoc aere, & est propinquus aeri proximo, consistet in physica vnione cum tali aere, moto hoc aere, & succedente alio aere, Angelus mutaret suam vocationem intrinsecam, absque eo quod ipse Angelus localiter moueretur: ergo. Ex eadem ratione vcatio corporum non consistit in actuali vnione cum loco extrinseco, hoc est cum corpore continente, & eius superficie: alioquin moto aere, qui sua superficie me continet, ego localiter immotus mutarem vocationem, quod est absurdum, & contra sensum communem.

36. Confirmatur: nam si vcatio permanens consistet in actuali vnione cum corpore, & loco extrinseco, etiam motus localis, qui est vcatio fluens, consistet in actuali vnione cum loco, & corpore extrinseco: adeoque ambulatio, qua ego ambulo in hoc cubiculo pleno hoc aere, non esset eadem pro casu, quo hoc cubiculum esset plenum alio aere.

37. Et eadem ratione vcatio Angeli non consistit in tanta distantia à corporibus: alioquin moto quolibet corpore, Angelus remanens immotus mutaret vocationem, sicut mutat distantiam. Simili argumento probatur vocationes intrinsecas corporum non consistere in actuali distantia ab alijs corporibus: alioquin corpora remanentia immota mutarent vocationem, moto quolibet alio corpore: ex gr. cum ego maneo immotus in meo cubiculo, & aer in qualibet parte mundi mouetur, sicut muto distantiam à tali aere, sic mutarem meam vocationem.

38. Si verò queratur, in quo consistat actualis distantia, vel propinquitas rerum: respondeo, quod consistit in coexistentia vocationum essentialiter distantium, vel propinquarum. Si enim duo corpora eodem tempore habeant duas vocationes essentialiter propinquas, duo illa corpora sunt propinqua: si habeant duas vocationes essentialiter distantes per spatium palmare constituuntur distantes

tes

res per palmum: ergo distantia vnius corporis ab alio supra vicationem vnius corporis addit existentiam vicationis alterius corporis, ideoque corpus retinens suam vicationem, ac remanens immotum, mutat distantiam ab alio corpore per hoc præcisè, quod illud aliud corpus localiter moueatur, & mutet vicationem. Abstrahimus nunc à quæstione, vtrum relationes coexistentiæ, propinquitatis, distantiae, supra existentiam, & durationem rerum, & durationum coexistentium addant modum: in qua quæstione in logica agens de relatione secutus sum sententiam affirmatiuam, eamque explicauimus, & deferendi quæst. 54. Logica.

39. Concludi potest ex dictis, quid sit spatium. Spatium nihil aliud est, quam vicationes, quæ essentialiter ordinantur inuicem secundum quamdam distantiam, & propinquitatem, & constituunt vndique, & ex omnibus partibus distantiam maiorem, & maiorem in infinitum, ideoque spatium concipitur vt vndique infinitum. Vicationes actualiter existentes constituunt spatium actuale: vicationes purè possibiles constituunt spatium purè possibile, & imaginarium. Vicationis diuina tota simul existens determinata, ad occupandum quodlibet spatium maius, & maius, si existat actu, vocatur immensitas. Et quia lumine naturali cognoscimus omnes res mundi debere inuicem ordinari secundum quandam distantiam, aut propinquitatem, per quam possint inuicem agere, vel pati, ideo lumine naturali cognoscimus omnes res, quæ sunt in mundo, debere inuicem ordinari per vicationes, ac proinde etiam Angelos habere suas vicationes. Porro notiones ab ipsa natura nobis impressæ non sunt deferendæ, cum sint fundamentum totius philosophiæ.

39. Ad 1. concedo maiorem, & nego minorem. Solus Deus per suam substantiam identificatam cum immensitate est vbique, & ita est præsens omnibus locis, vt possit vbique operari. At Angelus per suam substantiam præcisè neque est vbique, cum sit limitatus, neque est in villo loco determinato, cum sit indifferens ad hoc, vt sit in vno loco, vel in alio, & per motum localem possit transire ab vno loco ad alium: ergo Angelus debet constitui in loco per aliquid suæ substantiæ superadditum.

40. Ad 2. concedo maiorem, quod nimirum Angelus sit in loco per contactum non quantitatum, sed virtutis, & nego minorem. Contactus virtutis, quo Angelus tangit passum, non consistit in operatione, quam exercet in passum, sed in aliquo talem operationem antecedente. Nam prius natura Angelus debet esse corpori coelesti localiter præsens, vel propinquus, ac deinde illud mouere. Contactus igitur virtutis consistit in vicatione, qua Angelus constituitur corpori, & loco præsens, & penetratus, vel propinquus,

& proximus, ac proinde potens in illud operari. Sicut ergo contactus, quo corpus tangit corpus, dicitur quantitatus, quia consistit in hoc, quod termini, vel extrema corporum, nimirum superficies, linea, vel punctum, quibus corpora terminantur, sint simul, sic contactus, quo Angelus tangit corpus, dicitur contactus virtutis, quia cum Angelus careat quantitate, & terminis quantitatis, nimirum superficiebus, lineis, & punctis, contactus Angelus consistit in hoc, vt virtus actiua Angeli sit penetrata, vel propinqua, & proxima corpori, & applicata ad agendum in corpus. In hoc autem sensu commodè explicatur Sanctus Thomas docens Angelos esse in loco per contactum virtutis.

41. Ad 3. Damascenus dicens, quod Angelus in loco dicitur esse propterea, quod adest intelligibiliter, & operatur secundum suam naturam, significat Angelum esse in loco per præsentiam, & vicationem purè intelligibilem, non autem sensibilem, & quantitativam, & quod quia habet talem præsentiam, consequenter operatur in loco secundum suam naturam. Quod hic sit sensus Damasceni, patet ex verbis, quæ paulò post subiungit, citatis à nobis num. 16. Dicit enim: *Angelus velocitate nature, & quia videlicet promptè, & citò pertransit, varijs in locis operatur*; ergo patet rationem, cur Angelus in aliquo loco operatur esse, quia per motum velocem sit præsens, & propinquus tali loco, ac proinde Angelum constitui in loco, non per operationem transeuntem in loco exercitam, sed per præsentiam intelligibiliter acquisitam per motum antecedenter ad operationem.

42. Ad 4. distinguo antecedens: Deus formaliter est in locis corporeis per operationem transeuntem, qua loca corporea producit, vel conseruat, nego: causaliter, concedo; & nego consequentiam. Deus formaliter est actu in locis corporeis per hoc, quod habeat immensitatem, hoc est vicationem infinitam, per quam potest, ac debet implere omnia loca, dummodò existant, ac per hoc, quod ista loca existant, ac proinde etiam si loca corporea per impossibile existerent independentè à diuina operatione, Deus per suam immensitatem impleteret omnia loca corporea, proportionaliter, ac per suam æternitatem esset præsens omnibus temporibus, etiam si per impossibile tempora existerent independentè à diuina operatione. Quia verò loca, & tempora non possunt existere, nisi producantur, & conseruentur à Deo, ideo Deus causaliter est in omnibus locis, & temporibus per suam operationem; ergo proportionaliter Angelus est formaliter in loco corporeo per hoc, quod locus corporeus existat, & Angelus habeat suam vicationem finitam tali loco correspondentem. Et quia loca corporea possunt existere independentè, & antecedenter ad omnem operationem transeuntem Angeli in talia loca, ideo Angelus potest existere in loco corporeo independentè,

ter, & antecedenter ad omnem operationem transeuntem in tali loco exercitam. Deus igitur licet formaliter non existat in loco creato per operationem transeuntem in tali loco exercitam, tamen non potest existere actu in loco, quin exerceat aliquam operationem transeuntem in tali loco, illum producendo, vel conseruando. At Angelus non existit formaliter in loco corporeo per operationem transeuntem in tali loco exercitam, & præterea potest existere in loco corporeo, absque eo, quod exerceat ullam operationem transeuntem in tali loco.

43. Ad 5. Vbicatione Angelica, sicut potest vocari contactus virtutis, sic potest vocari applicatio virtutis, siquidem Angelus per vbicationem, qua cum aliquo corpore penetratur, vel est illi proximus, ita applicat suam virtutem tali corpori, vt naturaliter possit in illo operari, si velit: ideoque in hoc sensu concedo, quod Angelus sit in loco per applicationem virtutis. Si verò applicatio virtutis explicetur ita, vt non includat vbicationem, vt videntur explicare Authores sextæ sententiæ relatæ num. 22. nego Angelum esse formaliter in loco per applicationem virtutis ex rationibus ibi allatis &c.

QVÆSTIO LXXXIX.

Utrum vbicatio Angelica sit penitus indiuisibilis?

1. Videtur, quod Angelus licet sit indiuisibilis secundum substantiam, ac proinde sit totus in toto spatio, ac totus in qualibet parte spatij, tamen sit in spatio diuisibili per vbicationem proportionaliter diuisibilem, ita vt per dimidiam vbicationem sit in dimidio spatij, per tertiam partem vbicationis sit in tertia parte spatij: primò quia licet Angelus sit indiuisibilis, tamen durat per durationem diuisibilem proportionaliter, ac tempus, ita vt duratio, qua durat prima semihora, distinguatur à duratione, qua durat in secunda semihora, illamque temporaliter præcedat: ergo etiam licet Angelus sit indiuisibilis, vbicatur in spatio diuisibili per vbicationem diuisibilem proportionaliter, ac spatium.

2. Secundò eatenus vbicatio permanens Angeli non deberet esse diuisibilis proportionaliter, ac spatium, quatenus diuisibilitas proportionalis spatio esset ita propria entium materialium, vt non posset conuenire accidentibus purè spiritualibus, vbicatio autem angelica est accidens purè spirituale; sed diuisibilitas proportionalis spatio potest conuenire accidenti purè spirituali; ergo &c. Probatur minor: nam vbicatio fluens, seu motus localis Angeli est accidens purè spirituale, non minus, quam vbicatio permanens, sed motus localis Angeli habet diuisibilitatem proportionalem spatio: nam si Angelus moueatur per

spatium vnus miliaris, motus, quo mouetur per primam medietatem miliaris, præcedit tempore motum, quo mouetur per secundam medietatem, ac proinde ab illo distinguitur: motus, quo mouetur per primam quartam partem, præcedit tempore, ac proinde distinguitur à motu, quo mouetur per secundam quartam partem, atque idem dic de reliquis; ergo &c.

3. Tertiò proportionaliter Angelus spiritualis est in spatio corporeo diuisibili, ac anima rationalis spiritualis est in corpore diuisibili: sed anima rationalis est in corpore diuisibili per vnionem diuisibilem, proportionaliter, ac corpus: ergo Angelus est in spatio diuisibili per vbicationem diuisibilem proportionaliter, ac spatium. Probatur minor: nam cum alicui absconditur digitus, anima rationalis amittit vnionem cum digito, & retinet vnionem cum reliquo corpore: ergo vnio, qua vnitur digito, distinguitur ab vnione cum reliquo corpore. Rursus anima retinens vnionem cum reliquis partibus, de nouo acquirit vnionem cum partibus, quas acquirit per nutritionem, amittit vnionem cum partibus, quas amittit per actionem caloris naturalis: ergo vnio, quam ante habebat, & retinet, distinguitur ab vnione, quam amittit, vel acquirit de nouo, ac proinde vnio animæ rationalis cum corpore est diuisibilis proportionaliter, ac corpus.

4. Respondeo duas esse sententias. Prima Vázquez tom. 2. in 1. partem disput. 188. cap. 7. num. 30. docet vbicationem permanentem Angelorum esse indiuisibilem etiam ex parte spatij, ac proinde esse totam in toto, totam in qualibet parte spatij.

5. Secunda sententia Suarij lib. 4. de Angelis, cap. 17. docet vbicationem permanentem Angeli esse diuisibilem proportionaliter, ac spatium, ac proinde componi ex partibus inter se distantibus: ex. gr. si Angelus supponatur occupare totum spatium huius cubiculi, Angelus vtpotè indiuisibilis, & partibus carens, erit totus in toto hoc cubiculo, totus in qualibet parte huius cubiculi: at vbicatio permanens Angeli erit diuisibilis, ac constabit ex partibus, quarum vna erit in vna parte, altera in alia parte huius cubiculi, & sicut vna pars spatij distat ab alia, sic vna pars vbicationis distabit ab alia parte vbicationis.

6. Dicendum cum prima sententia: vbicatio permanens Angelica non est diuisibilis proportionaliter, ac spatium, nec constet ex partibus inter se distantibus, sed est penitus indiuisibilis, ac partibus carens, ac proinde tota est in toto spatio, tota in qualibet parte spatij.

Probatur: nam soli enti materiali conuenit constare ex innumeris, imò ex infinitis partibus simul existentibus, quæ debeant ita extendi in spatio, vt vna sit extra aliam; sed vbicatio Angelica est accidens non materiale, sed purè spirituale: ergo vbicatio Angelica

non